

6. Hodierna Ecclesia Latina disciplina requirit eam, qua morale mortis periculum ingerit.
7. Non sufficit morale mortis periculum; nisi ad sit infirmitas.
8. An mulieribus in partu graviter laborantibus?
9. Quomodo pueris administrandum?
10. Amentibus quomodo dandum?
11. Infirmis sensu & ratione destitutis quomodo administrandum?
12. Nequaquam differendum quousque infirmus sit sensibus destitutus.
13. A Parochis monendi Fideles, ne nimium hoc Sacramentum differant.
14. Olim stulta fuit persuasio, quod hoc Sacramentum suscepto fas non esset infirmo condere testamentum.
15. Evellenda persuasio de adempta spe convalescentia post susceptum hoc Sacramentum.
16. Aliquando persuasum fuit, non licere conjugatis post semel acceptum hoc Sacramentum nisi matrimonio.
17. Item non licere vesci carnibus.
18. Ob vulgaria deliramenta sensim hoc Sacramentum dilatatum fuit ad extremum mortis articulum; & Viatico postpositum.
19. Deliramenta hac invaluerunt, eò quod Extrema Unctio reputata esset pro solemnibus poenitentia.
20. Infirmis unguendus cinere & cilicio operiebatur.
21. Fastus ostenditur deliramentorum praefatorum origo.
22. Extrema Unctio tamquam Poenitentia complementum credebatur olim Viatico praesistenda.
23. Hic ritus praescribitur in Sacramentario S. Gregorii.
24. Ritus usque ad annum 1000. ubique recensetur.
25. Etiam seculo XIII. perduravit, & in Belgio notus.
26. Demum hoc seculo aut circa finem praeteriti mutatus.
27. Inquiritur causa mutati ritus.
28. Hodie etiam ex praescripto Ritualium Viaticum Sacra Unctio praesistendum.
29. A praescripto suorum Ritualium inferiores Presbyteri facile recedere non possunt.
30. Episcopis expendendum, num & quousque pristina disciplina revocanda.



X Epistola Apostoli Jacobi, ad quam quidquid de vera hujus Sacramenti natura dicitur tamquam in certam regulam transferendum est, nequaquam obsecrum est, solis infirmis corpore hoc Sacramentum esse administrandum: nam de his solis loquitur dicens: *SI QUIS INFIRMATUR IN VOBIS INDUCAT PRESBYTEROS, &c.*

Quapropter constans fuit Ecclesiae, praesertim Latinae traditio, non nisi aegris hoc Sacramentum exhibendum esse.

Innocentius I. in Epistola ad Decentium cap. 8. relatis verbis Apostoli Jacobi: *Si quis infirmatur in vobis &c. subnectit: "Quod non est dubium de Fidelibus aegrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto Oleo Chrisma perungi possunt: quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate unguendis."*

II. Traditioni huic & Apostoli Jacobi verbis inhaerens Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 3. De Extrema Unctione declarat, "esse hanc Unctionem infirmis adhibendam; illis vero praesertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde & Sacramentum *extremum* nuncupatur.

III. Quam gravis autem corporis infirmitas requiratur, ut ad mentem Apostoli Jacobi, Sacramentali hac Unctione infirmus inungi queat, facile determinari nequit: quia simpliciter & indefinite dicit: *Si quis INFIRMATUR IN VOBIS INDUCAT PRESBYTEROS, &c.*

IV. Hoc fat videtur expeditum, non eam infirmitatem requiri quae extrema sit, nullam reconvalescentiae penè spem relinquens; sed *gravem* sufficere.

De S. Eugendo, cujus supra meminimus, refertur, quod cum Unctionem sibi impertiri petiit, ultra sexagenariam aetatem sex ferè mensibus *inaequalitate* corporis laborasse, adhuc tamen corpore firmus, quod *numquam Canonico usque ad horam defuisset cursu, nec bis in die fesso corpuscule coactus fuerit aliquid impertiri.*

V. Notat Goartius ad Rituale Graecorum pag. 432. apud Graecos moris esse, ut aegri plurimi Unctionem Sacram acceptum aliorum manibus & ope ad Ecclesiam, siam se deserti faciant; ibique plurimum nonnunquam dierum spatio in Catechumenais jaceant, pernoctent, morentur, & sacra tandem Unctione sibi remedium exposcant. Indicium, Graecos non credere, *extremam* planè infirmitatem ad suscipiendum Unctionis Sacramentum esse necessariam.

VI. Quidquid sit de pristino Ecclesiae usu, quoad gravitatem infirmitatis in unguendo requisitam, hodie, saltem in Ecclesia Latina, requiritur infirmitas *periculosae*; & quidem talis, ut ob eam videatur morale mortis periculum imminere.

D. Rituale Romanum ait: "Debet autem hoc Sacramentum infirmis praebere, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut *mortis periculum* imminere videatur, & iis qui praesens senio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

VII. Pastorale Mechliniense praescribit, "Nemini, qui *gravi* morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, quamvis *periculum mortis* adeat, vel quia periculosam navigationem parat, vel quia praesens ininitus sit, à quo certa mors illi impendat, vel etiam capitis damnatus ad supplicium raperetur.

Non ergo sufficit imminens *mortis periculum*; sed requiritur, ut hoc *vi morbi* imminet: conformiter ad verba S. Jacobi: *Si quis infirmatur, &c.*

VIII. Idipsum expressit Rituale Romanum, item S. Carolus in suis Instructionibus Extremae Unctionis, additque: *Neque mulieribus in partu laborantibus. Manuale tamen Cameracense vult hoc Sacramentum administrari faminis in partu deficientibus*: adjungitque: "Rabidis, peste infectis; lethali ter vulneratis; ex hausto veneno periclitantibus; etiam dum adhuc *robusti* sunt, si postea suscipienda Unctionis opportunitatem non habent.

IX. *Non ministraretur pueris rationis usum non habentibus*, Rituale Roman. idem habet Pastorale Mechliniense; unà tamen monens: "Secus de pueris periculosè aegrotantibus, qui peccati mortalis, ac confessionis capaces sunt, licet sint solum octo aut novem annorum, & quamvis numquam communicaverint; ita tamen, ut si eos mori contingat, non sint eorum parentes urgendi ad exequias morte adultorum.

X. "Amentes, qui ab ipso ortu numquam fuerint mentis compotes, unguendi non sunt, ait pastorale Mechliniense." Amentes autem & furiosi [ait idem Pastorale] habentes interdum rationis usum, si eo potissimum tempore *piam animi significationem* derunt, aut hoc Sacramentum petierunt, licet postea in furorem, aut insaniam incidant, unguendi sunt, nisi tanta sit frenesis, ut infirmus aliquid contra reverentiam Sacramenti facere possit; quo casu non unguatur, nisi periculum tollatur omnino.

XI. "Infirmis autem cui dum sana mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petissent, seu dederint signa contritionis (ait Rituale Roman.) etiam si deinde loquelam amiserit, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebatur.

Dicit

Dicit Pastorale Mechlin. "Quamvis non petierit; si tamen erat bonae vitae, quia non praesumit at immemor suae salutis in morte plus quam in vita. Unde praesumitur quòd petat, vel quòd petiisset, & quòd petere voluit, sed non potuit.

XII. Itaque juxta modernam disciplinam, signanter Ecclesiae Latinae Sacramentum Extremae unctiois dandum non est, nisi infirmitas tanta fuerit, ut *mortis periculum* vitium infirmitatis imminere videatur; haec tamen infirmitatis gravitas non eousque extendenda est; nec administratio hujus Sacramenti tam diu differenda est, ut vel nulla omnino spes convalescentiae superstit; aut ipse infirmus sensibus & ratione destitutus sit, uti expressè inculcant Synodi nostrae.

XIII. "Parochi aegrotos saepe invisant hortenturque, ne ad extremum Sacramenti hujus susceptionem differant; ac potius sensibus rationisque usu adhuc integris, illud sibi administrari petant, ut ita uberius ejus fructum percipiant" ait Synodus P. II. Mechl. tit. 8. cap. 1.

XIV. Idipsum passim omnes Synodi praecipunt; uti & illud quod dicta Synodus Mechl. immediatè subjicit cap. 2. "Falluntur qui existimant, suscepto hoc Sacramento vel testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui; ideoque Pastores contrarium subinde populum doceant. Et si forte alicubi usum introductum sit, ut testamentum à susceptione hujus Sacramenti conditum non subsistat, de iat haec Synodus ejusmodi consuetudinem pro corruptela habendam esse, utpote causam, cur tam salutis Sacramenti susceptione, ad extremum vitae spiritum à plerisque differatur; itque interim effectus Sacramenti non percipiant, & saepe etiam sine eo moriantur.

Communis atque vulgaris haec de adempta facultate condendi testamentum opinio in hoc Belgio fuisse videtur; quandoquidem omnes passim Synodi moneant, ut stultam hanc opinionem convellant: haec forsan Synodorum monitione effectum, hodie contrarium sit persuasum, & quotidie testamenta post hujus Sacramenti susceptionem ab infirmis fieri videamus; nec ullus eo titulo invaliditatis arguere testamenta praesumat.

XV. Utinam aequè de mente Fidelium evulsa esset altera de adempta omni spe convalescentiae stulta opinio, quae etiamnum hodie contingit, ut frequentè hoc Sacramentum ad extremum vitae spiritum differatur; atque hinc ulterius fiat, ut sine ullo devotionis affectu, & non raro sine omni effectu recipiatur.

XVI. Observat Joannes Mabillonius in praefatione ad primum seculum Benedictinorum num. 100. quod seculo XIII. invaluit, praesertim in Britannia, stulta opinio, quod uxoris post susceptam Sacram Unctionem non liceret reverti ad opus conjugale; eamque susceptionem ad alia nonnulla erroris capita sensim propagatam.

Richardus Episcopus Sarisberienfis in Constitutionibus editis anno 1217. cap. 68. ait: "Dicant etiam ac denuntient confidenter Sacerdotes, quod post susceptum hoc Sacramentum licitum est reverti ad opus conjugale." Habetur tomo 11. Concil. general. col. 264. Idipsum repetitur in constitutionibus cujusdam Anonymi editis anno 1237. & habetur eodem tomo col. 550.

XVII. Synodus Wigorniensis anno 1240. cap. 19. haec inter alia habet: "Sunt autem quidam, ut audivimus, qui post praesumptionem hujusmodi Sacramenti lapidati pristinae relictis nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem utpotè doctrinae sanae contrarium execramur, & eos excommunicationibus & monitionibus duximus esse corrigendos.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

Has erroneas vulgariarum opiniones (ortus anno 1287. Synodus Exoniensis & anno 1307. Synodus Wintoniensis acriter convellunt; ut vel inde appareat, eas opiniones altas radices in mentibus Vulgarium egisse.

XVIII. Ad iterata haec Decreta reflectens Mabillonius dicit, verisimile esse, "ob ea vulgi deliramenta Unctionem infirmorum in *mortis articulum* reservari capissem, se; ac sensim usum in omnibus Ecclesiis fuisse propagatum." Cui forsan & stulta opinio de adempta facultate condendi testamentum non parum contulit.

Credit quoque Mabillonius ex hac vulgi perversa opinione factum esse, ut seculo XIII. contra hactenus observatam disciplinam Sacra Unctio Viaticum praemissum fuerit.

XIX. Praedicta autem deliramenta hinc ortum suum habuisse videntur, quod veteres habuerint Sacram Unctionem pro complemento *Poenitentiae*; adeò ut propterea Graeci etiam sani Sacra Unctione utantur in poenitentiae signum & peccatorum expiationem, uti multis docet Goartius in notis ad Rituale Graecorum pag. 432. quamvis eam non ut Sacramentalem, sed ut *ceremonialem* dumtaxat à sanis adhiberi credat.

XX. Hinc vetus quoque caeremonia poenitentialis in exhibitione hujus Sacramenti, in quibusdam Ecclesiis adhibita, signandi scilicet aegrum signo crucis *ex cinere*? atque imponendi aegro *cilicio*.

In antiquo codice Rotaldi Abbatis apud Menardum in notis ad Sacramentarium S. Gregorii pag. 337. in ritu Unctionis dicitur: "Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere super pectus ejus, & imponit *cilicium*, de super, dicens: Si quis infirmatur, agat *poenitentiam* etiam ex necessitate, quia misericors est.

Idipsum habent alii veteres Sacramentarii libri editi ibidem à Menardo; quibus Lanouus addit Librum Pontificalem M. S. Ecclesiae Cameracensis, in quo ritus Unctionis describitur; atque inter alia, Benedictio *cineris*, Benedictio *cilicium* & nonnullae Orationes, ac deinde dicitur: "Tunc Sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus, & imponit *cilicium* de super.

De hoc ritu in pluribus Ecclesiis olim religiose at non ubique uniformiter observato ex libris Ritualibus lae agit citatus Lanouus sub titulo: *Explicata vetus Ecclesiae traditio circa usum CINERIS & CILICII in infirmis, & circa lectum seu stratum cinere respersum in morituris*. Advertitque ex Breviario Romano, S. Carolum se huic disciplinae submisisse: de ipso enim legitur: "Melanania reversus, ingravescente morbo, cinere ac cilicio cooperatus, & oculis in Crucifixi imaginem defixis migravit in caelum.

XXI. Cum ergo Extrema Unctio jam pridem reputata fuerit pro poenitentia; quin & quidam ritus in *solemnis* poenitentiae impositione adhiberi solitus hic quoque adhiberetur; quidni hinc sensim aliquibus persuasum fuisse credamus, comestionem carniarum, actum conjugalem, & similia vetita esse post impositionem hanc quasi publicam poenitentiam; quandoquidem constaret, similia Poenitentibus fuisse jam pridem interdicta; uti multis ostendit Morinus lib. 7. cap. 10. & sequentibus.

Quidquid sit de horum deliramentorum & falsa opinio a origine seu fundamento, duo tamen certa sunt.

XXII. Alterum, quod Extrema Unctio reputata fuerit ut complementum poenitentiae; atque ad reliquias peccatorum abstergendas efficax, juxta illud S. Jacobi: *Et si in peccatis fuerit remittentur ei.*

Hinc ulterius reputabant, Sacramentum hoc convenienter post Sacramentum Poenitentiae suscipi; ut si quae peccatorum reliquiae superessent, Sacra hac Unctione abstergerentur; atque ita majore cum puritate Viaticum Corporis & Sanguinis Domini ab infirmo sumeretur.

L. 3

XXIII. Unde

XXIII. Unde in Sacramentario S. Gregorii apud Menardum post recitatas preces & Unctionem infirmi subditur: *Deinde communicet cum Corpore & Sanguine Domini.* Ad quæ verba notat Menardus pag. 334. "Ita in codice Rotradi & Ratoldi & Tiliario, & S. Remigii & S. Germani à Pratis, in quibus datur Eucharistia post ipsam Unctionem. Quod valde notandum est: quia olim ungebatur infirmus antequam sumeret Viaticum Corporis & Sanguinis Domini. Hæc ille, qui hanc disciplinam ibidem pluribus astruit; atque latius profequitur Joannes Lanous sub titulo: *Explorata veteris Ecclesie Traditio de data infirmis post Unctionem Eucharistia.*

XXIV. Prima parte hujus tituli profert Lanous monumenta & exempla, quæ hanc traditionem astruant ab anno 700. usque 1000. atque inter cætera Canonem S. Concilii Aquigranensis anno 836. celebrati: "Si quis infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque oratione Sacerdotali nec non Unctione sacrificati Olei per ejus negligentiam careat; denique si finem argenti perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo more Sacerdotali cum acceptione Sacramentum Communionis.

Hic videmus, non tantum Unctionem datam ante Sacram Communionem; sed insuper, datam jam Unctionem, demum Sacram Communionem fuisse datam, si ulterius Sacerdos finem urgentem perspexerit.

XXV. Parte secunda sui tituli refert Lanous Scriptorum testimonia, eandem traditionem adituventia ab anno millesimo ad millesimum trecentisimum: ac inter cætera monumenta adfert antiquum Librum Pontificalem MS. Ecclesie Cameracensis, ubi in Ordine ad visitandum infirmum primò ponuntur orationes à Sacerdote recitandæ, deinde ipsa Unctio infirmi, quia absoluta sequitur oratio: "Domine Sancte Pater omnipotens, æternæ Deus te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro Sacrosanctum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corporis quam animæ sit salus. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Hic referendum credidi, ut appareat, etiam in Belgio nostro pridem hanc disciplinam viguisse.

XXVI. Tertia parte refertur ex Ritualibus praxis quarundam Ecclesiarum, probans eandem disciplinam ab anno millesimo trecentesimo ad annum millesimum sexcentisimum; atque ibidem notat, in plerisque Ecclesiarum Gallicanorum Ritualibus sive Manualibus, etiam præterito seculo excusis, veterem ordinem administrandi Sacramentum Unctionis ante Viaticum, fuisse servatum; at illud mutatum fuisse in plerisque illis Ritualibus præfati seculo reculis. Unum tamen Manuale Cœnomanensis Ecclesie, quod anno octavo præfati seculi recusum est, antiquum Ordinem retinuisse observat.

Ex his constat, in multis Ecclesiis etiam usque præfens seculum, aut saltem finem præteriti perseverasse praxim dandi Sacram Unctionem ante Viaticum; at eam in aliquibus Ecclesiis mutari ceptam seculo XIII. ac tandem sub finem proximè elapsi aut initium præfatis seculi ubique pene in Ecclesia Latia mutatum esse ordinem; atque Viaticum Unctioni præmissum fuisse.

XXVII. Purat autem Lanous, "quod ad illam mutationem plurimum valuit male percepta Extreme Unctionis notio, quæ quorundam à Schola Theologorum animis extremum Sacramentum objecit. At profecto sonat tantum Unctionem quæ in genere Unctionis extrema est, non quæ extremum Fidelium Sacramentum." Hæc ille observat. 5. ad citatum titulum; qui dein observat. 6. ostendit, apud veteres nullum occurrere testimonium quo probetur, Sacram hanc Unctionem fuisse dictam *Extremum* Sacramen-

tum. Lanous consentit Mabillonius in citata præfatione num. 98. alterens, *Extremam* vocari ceptam sub finem seculi XII. idque antequam Unctio Viatico posterior esset: ut proinde nomenclatura illa, Viatico eam postponendi occasionem aliquam dedisse potuerit.

XXVIII. Tamen si occasio mutari ritus non nihil obscura sit; ac forsitan non una fuerit in omnibus Ecclesiis, illud tamen constat, ritum illum præmittendi Sacram Unctionem Viatico in omnibus Ecclesiis Latinis, solis Cisterciensibus & paucis forsitan Ecclesiis exceptis, desuisse; contrariumque ordinem non tantum consuetudine invaluisse; sed etiam in plerisque Ritualibus & Synodis præscriptum.

Rituale Romanum Pauli V. sub initium præfatis seculi de hoc ritu præmittendi Viaticum Unctioni, tamquam jam generali Ecclesie consuetudine recepto loquitur, hæc statuit: "In quo illud in primis ex generali Ecclesie consuetudine observandum est, ut si tempus, & infirmi conditio permittat ante *Extremam Unctionem* Pœnitentiæ & *Eucharistia* Sacramenta infirmo præbeantur.

Pastorale Mechliniense præscribit: "Licet Sacramentum Extreme Unctionis regulariter post Pœnitentiæ & *Eucharistia* Sacramenta ministrari debeat, ei tamen qui ob insaniam, furorem vel alium morbum, hæc Sacramenta recipere non potest, confertur etiam extrema Unctio sine prævia confessione aut Communione.

Similia aliarum Ecclesiarum Ritualia præscribunt, atque hodiernum ritum à veteri diversum stabilunt.

XXIX. Hæc Ritualia præscripta oportet, ut inferiores Presbyteri sequantur; nec facile hic recedendum quasi antiqua disciplina ipsius Sacramenti institutioni videatur conformior; eo quod institutum sit ad tollendum peccatorum reliquias; & consequenter ad dispensandum infirmum, ut fructuosius Sacrum Viaticum recipiatur; quia cum hic de puncto disciplinæ agatur, non facile Presbyteris inferioribus à consuetudine sua Ecclesie, præsertim jam in Ritualibus libris auctoritate Superiorum stabilita; recedendum est. Si tamen infirmus aliquis de veteri Ecclesie disciplina instructus, desideraret sibi ad abstergendas peccatorum reliquias, ante Viaticum administrari hoc Sacramentum, etiam posset infirmi desiderio interdum satisfieri; modò non timeretur inde Fidelium scandalum aut Superiorum offensio; quemadmodum non ita pridem duo hujus Academicæ Eximii Doctores ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Christianus Lupus & Franciscus Farvaquius optimè de antiqua Ecclesie praxi instructi, sibi ante Viaticum dari *Extremam Unctionem* postularunt, & obtinuerunt.

XXX. Episcopi autem alique Prælati, quibus disciplinæ conservatio & restauratio præcipue incumbit, expendere possunt, quid pro locorum & temporum conditione retinendum aut mutandum vel restaurandum sit; illud attendentes, per antiquam disciplinam dandi Sacram Unctionem ante Viaticum, futurum esse, non tantum, quod infirmi à reliquiis peccatorum expurgati, cum majore puritate, majorique fructu Viaticum sint recepturi; sed insuper futurum sit, quod *Extrema Unctio* non differatur usque ad extremum vitæ spiritum, & frequenter negligatur.

### CAPUT III.

#### De Ministro, Ritu, & Iteratione hujus Sacramenti.

1. Ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros docet S. Jacobus; & traditio Ecclesie.
2. Id ipsum declarat Synodus Tridentina.

3. Sanctus

### Pars II. Tit. VIII. De Sacram. Extreme Unctionis. 411

3. Sanctus Jacobus plures Presbyteros inducit; unde & ritus Græcorum plures interveniunt.

4. Nec tantum intersunt, sed etiam inungunt.

5. Etiam in Ecclesia Latina plures adhiberi.

6. Saeculo XII. dubitatum, an plures requirentur; & unum sufficere resolutum.

7. Conveniens est, ut plures interveniant; & quare?

8. Sanctus Carolus desideravit ut plures intervenirent.

9. An conveniat, ut solus Parochus cum custode preces recitet.

10. Regulares Presbyteri sine licentia Parochi administrare non possunt.

11. Solus Parochus hodie est ordinarius Minister.

12. Monere debet populum ut tempestivè petant administrari.

13. Interdum ultro infirmum adire & monere debet.

14. Quam periculosum Parochi se ejus culpa negligatur.

15. Nec tempore pestis administratio negligenda, & an danda cum manifesto vitæ periculo?

16. Parochus delatarius Sacrum Oleum super pelliceo & stola indutus sit oportet.

17. In delatione S. Olei nola pulsari non potest, & quare?

18. An lumen preferendum?

19. Ante declarationem Sacri Olei campana pulsanda, & quare?

20. Eundo & redeundo à fabulis abstinendum, & orationi instandum.

21. Monendus populus ad orandum, eò quod effectus hujus Sacramenti singulariter orationi adscribitur.

22. Manus infirmo, Unctione peracta imponitur.

23. Infirmo cereus ardens porrigitur.

24. Imago Crucifixi datur.

25. Quando hi duo ritus verisimiliter adhiberi cogit? & quid occasione illorum adstantibus dicendum?

26. Olim etiam in Ecclesia Latina in eodem morbo hoc Sacramentum reiterabatur.

27. Neque redarguendi Græci qui etiam hodie reiterant.

28. Antiquorum opinio seculo XI. quod nullatenus etiam in diverso morbo iterari posset, & quid fundamentum?

29. Contraria sententia ut probabilior suscipiatur.

30. Sententia Magistri Sententiarum & Aristodorenensis.

31. Sanctus Thomas reiterationem tantum permittit si morbus aut periculum sit diversum.

32. Eadem sententia posteriorum Scholasticorum.

33. Quid Synodus Tridentina senserit?

34. Invaluit sententia S. Thomæ & eam passim Ritualia præscribunt.

35. Aliquando etiam hodie in eodem morbo reiteratur.

36. Damnata praxis non reiterandi hoc Sacramentum infra annum tametsi status morbi fuerit mutatus.

37. Quæ circa reiterationem hujus Sacramenti statuta sunt, ad disciplinam spectant.

38. Circa hæc quisque sua Ecclesia præscriptum sequi debet.

39. Parochus in dubio magis in reiterationem inclinare debet.

I. Hujus Sacramenti Ministros sat patenter exprimit Jacobus Apostolus dicens: Si quis infirmatur in vobis inducat Presbyteros Ecclesie & orent super eum ungentes eum Oleo in nomine Domini.

Unde Innocentius I. respondens Decentio Episcopo

po Eugubino cap. 8. repetens jam relaxata verba Apostoli, subdit: "Cæterum illud superfluum videmus adjecisse, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt.

Tam constans igitur eo tempore erat persuasio, Presbyteros esse hujus Sacramenti Ministros, ut dubitaret Decentius, num Episcopus & illud administrare posset.

Porro, evidens est Innocentium ibidem de veris & legitime ordinatis Presbyteris loqui; ipsumque non dubitasse, quin Jacobus Apostolus de hujusmodi Presbyteris loqueretur; quemadmodum & omnia tam Græcorum, quam Latinorum antiqua & recentiora Ritualia intellexerunt; uno consensu in ministros hujus sacre Unctionis nominando Presbyteros seu Sacerdotes, idque auctoritate Apostoli Jacobi.

II. Unde contra nostri temporis Hæreticos definiit Synodus Tridentina Sess. 14. Can. 4. de extrema Unctione: "Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesie, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extreme Unctionis ministerium non esse solum Sacerdotem: Anathema sit.

III. Cum verò Jacobus non unum Presbyterum ad infirmum induci velit, sed plures, dicendo, inducat Presbyteros; videntur in administratione hujus Sacramenti, non unus dumtaxat, sed plures Presbyteri adhibendi.

Et quidem Græcorum ritu, septem Presbyteri hoc peragunt; aut si copia tot Presbyterorum desit, ad minus tres adhiberi debent; quapropter titulus officii Olei Sancti in eorum Ritualibus apud Goartium pag. 408. his verbis exprimitur: *Officium Sancti Olei decantatum à septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia; aut in domo.* Deinde relato officio pro infirmo ante sacram inunctionem recitando, nec non oratione in ipsa Unctione dicenda, subjicitur in Ritualibus: "Hæc oratio ab unoquoque Sacerdotum postquam dixerit Evangelium & orationem, cum videlicet infirmum oleo perungit.

IV. Hic nota, Græcorum ritu, non tantum plures Sacerdotes in hujus Sacramenti administratione adesse, ut simul pro infirmo precentur; sed ut etiam in eadem infirmitate, nec non ejusdem temporis tractu, plures, id est septem eorum Sacerdotes, eandem infirmi partes, Oleo sacro, repetitæque debita verborum formâ, perungant, quemadmodum id ipsum observat Goartius pag. 438.

V. Neque Græcorum dumtaxat, sed & Latinorum praxis jam pridem fuit, ut plures Presbyteri ad Sacram Unctionis ministerium vocarentur; atque simul pro infirmo orarent.

In veteri Codice Sacramentarii S. Gregorii apud Menardum pag. 253. dicitur: *MULTI Sacerdotum infirmos perungent insuper in quinque sensus.* Et in Codice Tiliario apud Menardum in notis ad Sacramentarium Gregorii legitur: "imponunt manus super infirmum omnes Sacerdotes, jubente, vel tantum permitte Episcopo, quia Canonicus sic ordo docet.

VI. Quin & seculo XII. dubitasse videtur Episcopus Carnotensis, num Sacerdos uno tantum Clerico præfente infirmum inungere posset; uti colligitur ex Decretali Epistola Alexandri III. ad dictum Episcopum, apud Antonium Augustinum in prima Decretalium Collectione l. 5. tit. 27. c. 9. ubi hæc leguntur: "Quæsitum à nobis tua Fraternalitas utrum Sacerdos uno Clerico tantum præfente infirmum debeat inungere... Nos itaque duximus respondendum, Sacerdos uno præfente